



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LXXVI. Differentia 2. Desponsata alicui qbsq[ue], idius consensu non
potest secundùm Canones renuntiare, nubere alteri,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

LXXVI.

DIFFERENTIA 2.

Desponsata alicui absq; illius consensu non potest secundum Canones renuntiare, & nubere alteri, c. 2. de sponsal. c. de illis, de desponsat. impub. c.

Desponsatam 27. q. 2. Iure civili autem potest: l. 1. C. de sponsal. Canisius 31.

I. CASus est: Vir & mulier pure & sine conditione de matrimonio contrahendo fide datâ non multo post mutant propositum, quid facto opus? Respondet Innoc. III. in c. 2. de sponsal. commonendos, & modis omnibus inducendos esse, ut fidem præstitam servant: si autem id facere noluerint, compellendos non esse, ne deterius quid contingat, si illam ducat vir, quam odit: sed instar illorum, qui societatem contrahunt fide datâ, & postea illam sibi remittunt, mutuo consensu renuntiare posse. Nam, ut *Glossa* notat, omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem solvitur, c. 1. de reg. iur. quia in tali casu fide præstitâ subintelligenda est conditio, scilicet, si in eadem voluntate permanserint, arg. c. *Quemadm. de iuram.* & c. *Ne quis arbitretur* 22. q. 2. Et opinio hæc Tancredi fuit diceatis, quod hæc decretalis contineat jus commune. Hugo autem loqui credit de comparativa permissione, ut in c. *Veniens. Qui clerici, vel sovent, cui faver textus, hoc possit in patientia tolerari. Ne deterius aliquid con-*

tingat. Multa enim per patientiam toleramus, quæ corrigere non possumus, quæque deducta in iudicium, exigente iustitiâ non debeant tolerari, c. *Cum iam dudum* 18. de prebend. & dignitatib. V. *Fill. Tr. 10. c. 8. n. 275.* qui monet excipi sponsalia impuberum, quæ ipsorum consensu non solvuntur.

II. Quod autem ad sponsaliorum solutionem unius tantum sponsi dissensus & reclamatio sufficiat secundum leges sacculi, DD. ex l. 1. C. de sponsal. colligunt. Alii desponsata renuntiare conditioni, & nubere alii non prohibetur. Idem infra tit. de repud. l. 2. & l. 2. ff. eod. affirmatur, quod absolute & indistincte acceptum non videretur æquitati & conscientie conforme. Quomocunque autem fiat, alter contrahentium obligatione sua liberatur, quia frangenti fidem fides impune non servatur: l. *Cum Proponas* 21. C. de pactis, l. *Si convenerit*, ff. *Pro socio*, & c. *Si infidelis* 28. q. 2. V. *Sanch. de matrim. l. 1. d. sp. 2. n. 5. Silvest. v. Sponsal. n. 4. Canis. in c. cit. §. Igitur redeundo.*

LXXVII. DIF-